

19. Spoliati jure decimarum per Parochum non sunt restituendi, nisi probent ad se jus illud spectare.
20. Quomodo hac juris decisio hodie recepta.
21. Decima Parochis oblati pro administratione Sacramentorum.
22. Que hodie in administratione Sacramentorum; & sepulchris dantur, demum invaluerunt post devotionem Decimarum ad Caputla & Monasteria.
23. Quid requiratur ut quis decimas contra Parochum præscribat.
24. Privilegia decimas recipiendi in præjudicium Parochi sunt odiosa.

**D**ecimas tamquam oblationes & eleemosynas à Patribus jam pridem populo fuisse commendatas, supra notavimus: idque exemplo populo ju' aici, qui ex præcepto legis, decimas Sacerdotibus & Levitis ut ministris Altaris perolvebat; ut hoc pacto se non minus religiosos ostenderent erga ministros novi Testamenti, quam populus ille erat erga ministros veteris Testamenti; impleveruntque per hanc decimarum oblationem præceptum Christi, quo vult, operarios & ministros Evangelii à populo esse alendos; & pauperibus succurrendum.

II. Cum ergo sæculo 7. & 8. quando præcipue decimarum solutio invalere cepit, lingule Ecclesie per suos particulares Presbyteros (quos hodie Parochos dicimus) regebantur; hi que populo spiritualia administrarent, atque totius Parochie curam agerent, etiam hæc decimas tamquam quasdam oblationes cedere populus voluit.

III. In vita S. Joannis Papæ VIII. legitur: "Idem, inter cetera de decimis Sacerdotibus dandis ita præcepit. Quas scilicet decimas unumquemque Fidelem illi Sacerdoti dare censuimus, in cujus Parochia eum procul dubio constat sub Episcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab Episcopo suo est constitutus manere.

Plura ejusdem ætatis Decreta, que Parochialibus Ecclesiis decimas vindicant, refert Gratianus *Can. 16. q. 1. Can. 42.* & sequentibus.

IV. His jungi potest illustre testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis, qui sub idem tempus consultus à Theobaldo Lingonensi Episcopo super incertis Sanctorum Reliquiis, superque prodigiis que illarum occasione dicebantur evenire, gravem ad ipsum Epistolam scripsit adversus temeritatem quorundam Monachorum Reliquias illas venditantiis, & populam ad Oratoria, in quibus hujusmodi Reliquiæ quiescebant, allicientium, "annuntiant, do omnibus fideliter, atque obtestando, ut intermissio hujusmodi vano & pernicioso concursu, unde nulla animæ salutis, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, unaqueque plebs in parochiis & Ecclesiis, quibus attributa est, quæta consistat, ubi sacrum baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemniam audire consuevit, ubi à Sacerdote suo penitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam decimas & primitias suas offerre præcipitur, ubi filios suos baptisati, matris gratia initiari gratulatur, ubi verbum Dei affidue audit, & agenda ac non agenda cognoscit.

V. Imò quod amplius est, cum anno 813. ad Synodum Cabilonensem II. delatæ essent querele, quod quidam Episcopi & Abbates decimas non sinerent dari Ecclesiis, ubi illorum Coloni Missas audiunt, decrevit Sacerdos Conventus *Can. 19.* "Ut Episcopi & Abbates de agris & vineis, que ad suam & fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant: familie verò ibi dent decimas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.

VI. Et in Concilio Metensi anno 888. *Can. 2.* statutum

est, ut deinceps nemo Seniorum de Ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem, sed solummodo Sacerdos, qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerant constitutæ, ipsæ eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ ædificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & cetera utensilia suo ministerio congrua obtinenda.

VII. Similia sunt recentiorum Canonum plurima Decreta, que evincunt, decimas adinstar quarundam oblationum Parochis & Ecclesiis Parochialibus primitus fuisse oblatas; quòd & Pontificum Decretales, que hodiernum jus Canonicum & Ecclesiasticum constituunt, supponunt; ubi indubitatum & receptum asserunt unquam decimas de jure ad Parochiales Ecclesias spectare.

VIII. Consultus enim Innocentius III. si in aliqua Parochia decimarum perceptio ad personas aliquas Ecclesiasticas ab antiquo pertineat, utrum novalia etiam ad easdem personas pertinet et incipiant, respondit negativè: *Quia, ait, cum perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, Decima novalium, que sunt in Parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur.* *Cap. 29. De Decimis.*

Rursus proposito dubio, utrum minutæ quædam Decimæ Monasteriis & Ecclesiis Conventualibus deberentur, respondit idem Innocentius: quod si hi fructus proveniant ex his fundis, quibus Monasteria & Ecclesie Conventuales ab antiquo Decimas Majores percipiebant, etiam horum fructuum Decimas illidem deberi cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit Decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia diverso jure censeri: *Alioquin, inquit, Parochialibus Ecclesiis exolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio Decimarum.* *Cap. 30. De Decimis.*

IX. Ex his aliisque juris aperitissimis decisionibus, uno calculo hanc conclusionem probant Canonistæ: "Ecclesia Parochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione Decimarum prædialium ex fructibus, qui colliguntur intra limites Parochiæ suæ. Ita post alios Canonistas Fagnanus ad *cap. 29. De Decimis num. 21.* additque: eamque passim servat Rota, ut in pluribus decisionibus relatis à Cardinali Seraphico *de j. 802. n. 1.* in quibus Rota firmavit Parochialem Ecclesiam fundare intentionem super Decimis, etiam contra Episcopum: quod & tradit Rebuffus tractatu de Decimis q. 7. num. 5. nimirum, quod Curati fundati sint in Decimis prædialibus provenientibus intra limites suarum Parochiarum contra Episcopum.

X. Antiquitus quidem, ut observat Claudius le Prestre in suis questionibus *Cent. 3. c. 24.* priusquam Ecclesia pluribus terris & possessionibus ditata esset, quarta omnium proventuum Ecclesiasticorum ad Episcopum, in sua respectivè Diocesi, spectabat: at hodie in decimis Parochialium Ecclesiarum non debet Episcopus, nec de jure communi, nec de consuetudine habere aliquam portionem: nisi forsitan ex particulari conventionem vel titulo portio aliqua ipsi esset reservata; e quo casu accipiendum est *cap. 13. De Decimis*; ubi alicujus portionis Episcopo competentis mentio occurrere notat Glossa ad dictum Capitulum.

XI. Proposuit olim Episcopus Massiliensis Alexander III. quod essent homines in Parochia unius Ecclesie, qui terras in alia Parochia excolunt, consuluitque Alexandrum, cui Ecclesie de terris illis decimasolvere debeant, an ei in cujus Parochia sunt constituti; (fortè legendum *constitute*) an illi, in qua divina audiunt, & Ecclesiastica, alia percipiunt Sacramenta? Respondit Pontifex: Sanè cum hujusmodi questio temporibus prædecessorum nostrorum sapienter mota fuerit, nec ab aliquo terminata, aliis intuitu territorii, aliis personarum obtentu assentibus debere persolvi; non est nobis facile certum super hoc dare responsum; cum auctoritates sanctorum Patrum etiam sint diversæ; & ideo, in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum.

, dum, & attendendum, etiam si illæ Ecclesie in uno sint, vel in diversis Episcopatibus constitutæ. Quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas, cum ex hoc Episcopatum fines confundi non immerito viderentur.

Refertur casus & resolutio in *Cap. 18. De Decimis*; sed fulius in *Cap. 3. De Decimis* in secunda Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; è qua textum descripti.

XII. Ad hanc dubiam & suspensivam resolutionem reflectens Glossographus in citato *cap. 18.* verbo *diversa* ait: "Facile est solvere hanc difficultatem. Ibi debent dari personales decimæ ubi quis recipit Ecclesiastica Sacramenta; & si habet prædia in alia Parochia, ibi debet dare decimas illorum prædiorum.

XIII. Hæc distinctio Glossæ communiter recepta est: & jure ac consuetudine probata: præsertim quoad decimas prædiales; ut hæc debeantur Parochis sive Ecclesiis Parochialibus intra cujus limites prædia sita sunt; uti aperte declaravit Bonifacius VIII. in *Cap. 2. De Restitut. Spoliati. in 6.*

XIV. Legitur in Synodo Wigornienfi anno 1240. *Can. 44.* "Cum decimarum confusio provenientium de lana, aguis & caseis, Ecclesiarum rectoribus amodo contentio, nis occasionem generet: statuimus quod in quacumque Parochia per totum annum fuerit ovile ovium, licet oves Parochiæ vicinæ limites transeant, ad pascua quærenda, illi Ecclesie in cujus Parochia cubaverint, Decimæ tribuantur. Quod si continuè cubant in una Parochia, & continuè pascant in alia, inter Ecclesias decima dividatur. Idem & quod de vaccis duximus esse statuendum.

XV. Hæc Synodalis determinatio quoad decimas animalium & juri & consuetudini sat conformis est. Et licet decima agnorum & similes dicantur mixtæ; tamen prædialibus magis, quam personalibus accedunt; uti notat Glossa ad *cap. 20. De Decimis*; verbo *Personales*; ex quo ibi deca inferit: "Ubi ergo pascuntur continuè, ibi decimæ solvi debent.

XVI. Deinde quaerit: Sed quid si per medietatem anni in territorio unius Ecclesie & per aliam medietatem in territorio alterius Ecclesie pascantur? Æquum est (ait) ut dividantur.

Testatur quoque Germanus Forget in suo tractatu de Decimis *cap. 4. num. 6.* quod si animalia diversis in Parochiis pascantur, communiter observari in Gallia, decimas esse dividendas inter Parochos servata proportionem temporis, quo animalia in Parochia manserint & pabula acciperint.

Similiter refert Michael de Perray in suo tractatu De congrua portione *tom. 2. cap. 3. n. 46.* Judicatum 20. decembris 1685. quod quando grex pertinet ad villicum, qui habet duas villas in duabus Parochiis, decimam dividendam esse in Parochos utriusque villæ.

XVII. Id ipsum quoad divisionem decimæ animalium inter Parochos tradit Rebuffus De Decimis *qn. 6.* ubi una notans *num. 27.* consuetudinem in his nonnunquam aliam esse: asseritque, valere consuetudinem, ut Ecclesia Parochialis ubi frequentius pascuntur, accipiat decimam; & communius (ait) observatur.

XVIII. Itaque hoc apud omnes compertum est, decimas de jure spectare ad Parochos: idèdque juxta receptissima & novissima Juris principia, Parochos competunt decimæ infra limites suæ Parochiæ ex crescentes, quamdiu non ostenditur aliquo speciali & legitimo titulo ad alium spectare; idque plene & ad sufficientiam juris probatum fuerit. Si enim vel circa probationem, vel titulum maneat aliquod dubium, Parochos, cui jus commune favet, adjudicandæ erunt decimæ; sive potius non auferendæ; uti aliquando in casu admodum dubio judicatum esse testatur Ludovicus Charondas *lib. 1. Resp. 29.*

XIX. Hoc fundamento declaravit Bonifacius VIII. in *Van Elphen Jur. Eccl. P. II.*

*Cap. 2. De Restitut. Spoliati.* "Ad decimas quas Canonici S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesie B. Cletri possedisse aliquamdiu, & eis per eundem Clericum spoliatos fuisse, nequaquam restitui deberi, nisi evidenter docuerint, quod earum possessionem legitime attēcui fuissent.

XX. Quamvis hæc Pontificis decisio, quoad Parochum spoliantem Canonicos jure decimandi hodie non admittetur; neque Parochos fas sit, quemquam viã facti in possessione quantumvis exigui temporis turbare, uti notat Grimaudet De Decimis *lib. 3. cap. 8.* nihilominus ex hac Pontificis decisione, nec non fundamento decisionis, patet, Pontificem non dubitasse, decimas pleno & indubitato jure spectare ad Parochos; eaque Parochum sibi vindicare posse, quamdiu non ostenditur speciali titulo eas ad alium spectare.

XXI. Et sanè inspectâ primigeniâ decimarum origine, atque ipsâ Fidelium Offerentium primâ intentione, videntur decimæ non minore jure ad Parochum spectare, quam oblationes, que hodie in Sacramentorum administratione, & mortuorum sepulchris dari solent. Nam decimas à populo primitus oblatas esse Parochis ad eum modum quo hodie jura funeralia, aliave in Sacramentorum administratione offeruntur & solvuntur; & hæc à populo demum offerri, & quodammodo exigi cœpisse postquam variis modis decimæ à Parochis ablata, & ad Monasteria & Capitula devolutæ fuere à pluribus observatum est.

XXII. Observatque Christianus Lupus Dissertatione 2. proœmiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones *cap. 7.* quod cum sæculo 11. & 12. Decreta plura edita essent adversus exactiones in Sacramentorum administratione, nihil tamen perfectum fuisset: quia Episcopi Decreta recipere noluerunt: nimirum illi, "qui vel ipsi, vel ipsorum Cathedralia aut Collegiata Capitula possidebant Parochialium Ecclesiarum decimas: idèdque volebant de ipsis splendide vivere, & miseris Parochos esurire: atque ita cogi ad victitandum de solis oblationibus, aut exactionibus Sacramentorum. Hæc ille, qui dein adjungit: Episcopi & alii jam dictas decimas possidentes, Prælati, eorumque Capitula ac monasteria, RIGIDUM coram Deo onus portant danda Parochis sustentationis integræ, & MISERAS plebes liberandi ab exactionibus variis, SUSPECTIS, OFFENSIVIS, ad quas isti à paupertate coguntur.

Verum de hoc latius titulo sequenti; ubi unâ ostenditur, hæc eadem ratione onus dandi portionem congruam seu competentiam Pastoralem esse annexam juri decimandi.

XXIII. Cùm Ecclesia Parochialis jure communi sit fundata in perceptione decimarum infra limites Parochiæ ex crescentium, perspicuum est, jus decimandi intra eosdem limites præscribi non posse contra Ecclesiam Parochialem, nisi cum possessione 40. annorum concurrat *titulus*; vel defectum tituli suppleat possessio *immemorabilis*; sive tanti temporis, cujus contrarii memoria non existit juxta decretalem Bonifacii VIII. in *Cap. 1. De Prescriptionibus in 6.* "Episcopus, qui Ecclesias & decimas quas ab eo repetis, proponit (licet in tua sint constitutæ Diocesi) se legitime præscripsisse, allegare oportere (cum jus commune contra ipsum faciat) hujusmodi præscriptionis *titulum*, & probare. Nam licet ei qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides; ubi tamen est ei jus commune contrarium vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit: sed est necessarius *titulus*, qui possessori causam tribuat præscribendi. Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.

XXIV. Eadem ratione privilegia concessa Capitulis, Monasteriis, vel singularibus quibusvis personis percipiendi decimas intra limites Parochiæ ad exclusionem Eccle-



fiat Parochialis, sunt strictissime interpretanda, & intra verborum rigorem concludenda: quod infra laicius probabitur, ubi de decimis novalibus & minutis agemus.

## CAPUT IV.

## De Decimis Laicalibus sive infeudatis.

1. Censui debitus ab Emphyteutis dictus decima; à decimis Ecclesiasticis diversa.
2. Prætextu similis census multa terra exempta à decimis.
3. Decimarum Ecclesiasticarum laicos esse incapaces, Canones declarant.
4. Decretum Concilii Romani sub Gregorio VII.
5. Laicos decimas nulla posse ratione præscribere, scribit Alexander III.
6. Idem Pontifex deplorat, Sacerdotes occasionem dare laicis decimas occupandi.
7. Dicit eas esse Sacerdotum; & idè à laicis teneri non posse.
8. Decima principaliter instituta in usum Sacerdotum.
9. Hac consideratione jus decimandi est spirituale.
10. Eatenus laici illius incapaces.
11. Decima per se non sunt spirituales; nec earum laici incapaces.
12. Privilegium Regum Hispaniæ accipiendi tertias decimarum.
13. Privilegium hoc fuit personale usque ad Alexandrum VI. qui illud fecit perpetuum.
14. Comiti Flandria jam pridem decima data in feudum.
15. Laicis decimas in feudum perpetuum concessas saculo 12. fasetur Fredericus Imp.
16. Episcopi & Prelati nimia facilitate decimas laicis concedebant.
17. Canones multi editi contra laicos decimarum detentores.
18. Violenter resistebant Laici & Monachi Episcopis decimas vindicantibus.
19. Episcopi nonnihil de rigore contra laicos decimas possidentes remittunt.
20. Decretum Concilii Bituricensis saculo 11.
21. Synodus Tolosana tantum præcipit tertiam partem decimarum à laicis possessarum dari Ecclesiis.
22. Gregorius VII. monet summum Legatum ut mitius cum militibus decimas possidentibus agat.
23. Inducatur, viiia Sacerdotum occasionem dedisse laicis decimas sibi appropriandi.
24. Querela de Episcopis dantibus decimas militibus & consanguineis.
25. Constat saculo 11. decimas in feudum datas.
26. Laicis in possessione decimarum infeudatarum incipiebant tolerari.
27. Permitebatur eis in quemcumque Clericum decimas post mortem transmittere.
28. Concilium Lateranense sub Alexandro III. vetat eas in alios laicos transferre, & de novo accipere.
29. Communis opinio hoc Decreto permissum fuisse laicis hætenus possessas decimas retinendi.
30. Merito dubitatur, an hoc opinio sit fundata.
31. Hac interpretatio Concilii quoad decimas infeudatas videtur probata Innocentio III.
32. Ratio ob quam decima infeudata laicis facilius permittentur.
33. Concilium Lateranense sub Innocentio III. videtur tacite decimas infeudatas permississe.
34. Judicat Innocentius III. laicos super decimis infeudatis non inquietandos modo eas non extendant.

35. Alexander IV. distinxit decimas possessas ante & post Concilium Lateranense.
36. Canonista supposuerunt Alexandrum loqui de Concilio Lateranensi sub Alexandro III. qua opinio hodie recepta est.
37. Laicus hodie præcedens decimas debet probare eas infeudatas ante dictum Concilium: & quomodo hoc probetur.
38. Decima infeudata à laicis hodie possidentur ut cetera bona feudalia & patrimonialia.
39. Possunt quovis titulo etiam in alios laicos transferri.
40. De his tam in petitorio, quam possessorio cognoscit iudex laicus.
41. Decima hæretinetur equidem aliquid de primigenia sua conditione.
42. Reversa ad Ecclesiam resumunt primigeniam naturam.
43. Decima sic reversa eximitur à jurisdictione laicali.
44. In acquisitione harum decimarum Ecclesia non indiget amortizatione.
45. Nec vendita subjacent retractui Gentilitio.
46. Hac locum habent quando decima infeudata liberè & simpliciter redeunt ad Ecclesiam.
47. Quid si decima revertantur accessorie cum castro?
48. Novas decimas vetantur laici accipere.



Decima, prout accipiuntur, & dum eas à laicis possideri non posse Canones dicunt, multum differunt à decimis dominicis aut indominicatis, quæ passim occurrunt in Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis; uti monet Franciscus De Roye antecessor Andegavensis Institutionum Juris Canonici lib. 2. cap. 12. "Hæc si quidem (ait) prophanæ sunt, & agrorum census aut tributa, veluti compartium, agrarium, cottagium, & alia id genus.

Solebant enim frequenter ipsi Principes aut Nobiles terras suas dare in emphyteusim ea conditione, ut certa pars fructuum ab Emphyteutis solveretur dominis directis, quæ pars fructuum subinde decima vocata fuit.

II. Quin & notat Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo De Episcopis & Clericis §. De Decimis n. 6. quod quamvis similia jura non sint decima; tamen hoc prætextu multa terra à decimarum solutione exempta remaneant; quasi revera decimas exsolverent ipsis Dominis. "Cum enim (ait) terra incultæ spectent per mores ad principem seu vasallos, qui territoria ab eis possident & in emphyteusim sæpe data sunt, atque inde dentur ea lege ut decima fructuum ad Dominos spectet, eaque decimi manipuli vernaculæ vocari apud nos soleant, fit, ut sæpius exinde hæc confusa sint, & in abusum decimarum trahantur.

III. De his itaque decimis sive juribus planè prophanis & laicalibus hic non agitur; sed de veris decimis origine sua Ecclesiasticis; quæque à populo in usum Ecclesiæ primitus oblatæ fuerunt.

Harum decimarum laicos esse omninò incapaces; neque eas ullâ præscriptione aut longi temporis possessione sibi vindicare posse, uno quasi consensu tradunt Canonistæ; idque multorum textuum Juris Canonici auctoritate.

IV. Apud Gratianum *Caus. 16. q. 7. Can. 1.* ex Concilio Lateranensi sub Gregorio VII. refertur: "Decimæ quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.

V. Et Alexander III. causam vertentem inter Archidiaconum, & nobilem virum super decimis committit Parmensi Episcopo, ut eam auditis utriusque partibus debito sine deci-

decidat, "non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiasticæ facultatis personæ, si idem eam opponere voluerit: quia (ait) cum laici decimas detinent, re non possint, eas NULLA valent præscribere ratione." Refertur hæc Decretalis in Cap. 7. & De Præscriptionibus; & latius in Cap. 10. eod. tit. in prima Collectione apud Antonium Augustinum.

VI. Deplorat idem Pontifex in Cap. 7. & De Decimis quod laici in afferendis sibi decimis, "fomitum sui erroris" dicantur in ipso Clero aliquoties invenire, dum quidam Prælatorum Ecclesiæ decimas, & Ecclesias eis disponere indulgent, & eos in devia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant revocandi. Statuimus ut si quis alicui laico in sæculo remanenti Ecclesiam, decimas, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ jaceat ruina prostratus.

VII. Ratio ob quam laicis nefas sit, decimas possidere; Prælatique adeò arguendi sint, qui eas laicis concedunt, initialibus verbis ipsius Decretalis indicatur: "Quamvis (ait) sit grave nimis; & divini dignum animadversione iudicium habeatur, quod laici quidam quod Sacerdotum est, in Ecclesiasticis rebus usurpant.

Hic itaque verbis indicatur, idè nefas esse, decimas à laicis usurpari, aut laicis concedi; quia decimæ sunt Sacerdotum: nefas autem est, à laicis usurpari aut detineri, quod Sacerdotum est.

VIII. Si decimas consideremus juxta primariam earum institutionem & originem, certum est, eas Sacerdotibus tamquam Ecclesiæ Ministris, sive ut operariis, & spiritualia populo ministrantibus fuisse assignatas: Nam, ut rectè notat S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 2. in C. Radix solutionis decimarum est debitum quo seminantibus spiritualia, debentur temporalia.

IX. Hinc idem Doctor art. 3. in C. docet jus accipiendi decimas eatenus spirituale esse; in "quantum consequitur illud debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia, debentur temporalia; quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum; & idè eis competit hoc jus habere, "Sive ut dicit Joannes Gersonius in Tractatu De Vita spirituali animæ, decimæ sunt quid spirituale per deputacionem.

X. In quantum ergo jus decimarum fundatur in ministerio Clericali vel Pastoralis; eatenus laici, etiam Religiosi juris decimandi incapaces sunt; eoque titulo jus decimandi rectè dicitur spirituale, & solis Clericis competere posse.

XI. Verùm, ut ibidem subjungit Doctor Angelicus, "res quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt: Unde possunt in usum quorumlibet cedere; & sic possunt ad laicos pervenire.

Hinc ulterius in responso ad tertium argumentum statuit S. Thomas, quod possit Ecclesia alicui laico concedere, ut dandas decimas ipse accipiat; "sive pro necessitate Ecclesiæ (sicut quibusdam militibus decimæ debentur, in feudum per Ecclesiam concessæ) sive etiam ad subventionem pauperum: sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum elemosynæ.

XII. Pontifices nonnunquam Regibus decimas nonnullas concessisse certum est.

Refert Emanuel Gonzales in Commentario Capituli 19. de Decimis; quod Romani Pontifices concesserint tertias decimarum Regibus Catholicis, qui proprio sanguine & maximis sumptibus Ecclesias à Sarracenis occupatas recuperarunt; asseritque Regem Catholicum in Hispania ex acervo decimarum in novem partes divisio duas partes percipere.

XIII. Circa tempus verò hujus concessionis (ait) non satis constat: illud tamen certum est, usque ad tempora Alexandri VI. hæc privilegia Regibus nostris concessa non fuisse perpetua, sed temporalia in subsidium belli cum Sarracenis. *Vari Espon Jur. Eccl. P. II.*

nis initi. Alexander autem in sua Bulla quæ incipit *Dum in defensa* anni 1494. die 16. Februarii concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elizabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum Regni Castellæ, Legionis, & Granatæ licite perciperent: & quoad tertias Regni Granatensis aliud privilegium concessit Innocentius VIII.

Deinde citat auctores qui referunt privilegia Romanorum Pontificum percipiendi partem decimarum concessa tam Regibus Castellæ, quam Arragoniæ.

XIV. In charta donationis Ecclesiæ S. Donatiani Brugis, quæ nunc Cathedralis est, legitur apud Miræum in Codice *piarum donationum cap. 34.* quod Arnulphus Magnus Flandriæ Comes donet dictæ Ecclesiæ, de Episcoporum Tornacensis & Morinensis ordinatione ac consilio quoddam Decimas; "de iis, inquit, quas ihi & prædecessoribus meis, in Comitatu seu Marchionatu Flandriæ, de terris cultis & incultis Sanctissimi Patris Papæ Romani, pro adjutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum, pro expugnatione ac resistentia contra Wandalos qui Flandriam & alias terras vicinas, cum Ecclesiis in ipsis constructis crudeliter & damnabiliter devastabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt.

XV. Hoc titulo decimas ad Principes pervenisse jam pridem in publica oratione habita in Concilio Principum dixit Fredericus I. Imp. uti scribit Arnoldus Lubecensis lib. 3. cap. 18. "Scimus autem (ait) decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus, & Levitis primitus deputatas; sed cum tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, eadem decimas Præpotentes, & Nobiles viri ab Ecclesiis in Beneficio stabili acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quas per se obtinere non valerent.

Hic notandum, sæculo 12. decimas à laicis in feudum perpetuum, sive Beneficium stabile fuisse possessas.

XVI. Scitur quoque nonnullos Episcopos & Prælatos sine necessitate, ac iusta causa, sub idem tempus, id est, saculo 11. & 12. decimas concessisse; quin & laicos decimas, præsertim Ecclesiarum Parochialium propria auctoritate, aut Parochorum conniventia usurpasse & sibi asseruisse.

XVII. Scitur quoque circa idem tempus, multa Concilia & Prælatorum conventus habitos fuisse; multaque Decreta edita contra laicos decimarum detentores.

XVIII. Narrat Aymoinus in vita Abbonis Floriacensis Abbatis cap. 9. quod anno 997. in Monasterio S. Dionysii haud procul à Parisiis Concilium aggregatum quamplurimum Episcoporum fuit. Cumque de Decimis quæ à laicis ut plurimum occupabantur, & Monachis passim detrahebantur, ad Parochianos reducendis, questio in medium fuisset proposita, resistente eis dicto Abbone Abbate, tanta seditio exorta fuit, ut omnes Episcopi à Conventu fugere fuerint coacti; atque inter fugiendum Seguinus Archiepiscopus Senonensis canicie venerabilis fugiens, inter scapulas securi ictus à populo cæno & luto oblitus penè mortuus relictus; nec eum dignitas Sacerdotalis protexit aut canities, quin penè occideretur. Tota historia extat tomo 9. Concil. general. col. 770. & seq.

XIX. Ex hac Laicorum & Monachorum violenta resistentia, satis intelligebant Episcopi, in hac materia, amore pacis & tranquillitatis potius aliquid dissimulandum esse, quam cum omni rigore procedendum.

XX. Concilium Bituricense anno 1031. *Can. 2. 1. & 2. 2.* hoc unum vetuit, ne laici tenentes Ecclesias Parochiales, seu earum proventus in feudum, dominatum in Presbyteros exercerent, neque suo arbitrio instituerent aut destituerent: verba sunt, "Ut sæculares Ecclesiastica beneficia, quod fecerunt Presbyterales vocant, non habeant super Presbyteros. Ut nullus laicus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, nisi in manu Episcopi: quia Episcopus curam animarum debet unicuique Presbyterorum commendare de Parochiis Ecclesiarum singularum.

XXI. Synodus Tolosana an. 1056. *Can. 1. 1.* monet: "De Eccle-